

VERSION LATINE

Comment se faire l'égal de la divinité

« Quomodo, inquis, isto* peruenitur ? » Non per Poeninum Graiumue montem nec per deserta Candauiae ; nec Syrtes tibi nec Scylla aut Charybdis adeundae sunt, quae tamen omnia transisti procuratiunculae pretio : tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa quae si non deserueris par deo surges. Parem autem te deo pecunia non faciet : deus nihil habet. Praetexta non faciet : deus nudus est. Fama non faciet nec ostentatio tui et in populos nominis dimissa notitia : nemo nouit deum, multi de illo male existimant, et impune. Non turba seruorum lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium : deus ille maximus potentissimusque ipse uehit omnia. Ne forma quidem et uires beatum te facere possunt : nihil horum patitur uetustatem. Quaerendum est quod non fiat in dies peius, cui non possit obstari. Quid hoc est ? Animus, sed hic rectus, bonus, magnus : quid aliud uoces hunc quam deum in corpore humano hospitantem ? Hic animus tam in equitem Romanum quam in libertinum, quam in seruum potest cadere. Quid est enim eques Romanus aut libertinus aut seruus ? Nomina ex ambitione aut iniuria nata. Subsilire in caelum ex angulo licet : exurge modo

et te quoque dignum

Finge deo.

Finges autem non auro uel argento : non potest ex hac materia imago deo exprimi similis ; cogita illos, cum propitii essent, fictiles fuisse.

Sénèque, *Ep.* 31, 9-11

* isto : ad summum bonum